



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

17. De Festis & Missis Sanctorum per annum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Apol. 2. Augustinus sermonem habuit 252. de temp. extant desuper varii Canones, & affertur exemplum Christi concurrentis ad encœnia, id est, dedicationem templi Jerosolomytani Joan. 10. dedicantur autem Ecclesiæ, ut ad eas invitetur Chorus Angelorum, & homines in eas intrantes etiam vel à minima profana cogitatione se contineant. Locus enim, in quo stant, terra sancta est. Ità Alcuinus. Juxta D. Thom. consecratur Ecclesia, quia sancta est Sponsa Christi congregatio fidelium Ecclesiam representans. Porro *Ecclesia* vox græca est, & *Concionem* significat Act. 19. seu *Convocationem*. Dicta etiam est *Ecclesia templum* quasi *tectum amplum*. *Dominicum* vel *domus Dei*. *Cœnaculum* à Cœna Domini. *Domus orationis*. *Basilica Regis Regum*, *Martyrium*, *Confessio* & *Oratorium*. Antiquitus etiam annua dedicatio cujusvis Altaris celebrabatur teste S. Aug. nam cuilibet consecrato Altari putatur assistere Angelus. Consecratur autem Altare teste D. Thom. ad indicandam sanctitatem Christi.

17. *De Festis & Missis Sanctorum per annum.*

**T**Ria ratione Festorum observanda, *Vigilia*, *Octava*, *Festa*. *Vigilia* cœperunt à Pastoribus nocte Nativitatis Christi, & indictæ sunt ab Ecclesia, ut festum ipsum fiat solemnius, & per pridianam abstinentioniam purificati id celebremus dignius. Ob scandala autem de nocte contingentia, jejuniis & vigiliarum nomine re-tento, *vigiliae fuerunt interdixæ*. *Festa Sanctorum*



*florum* dicuntur eorum natalitia; quia tunc hinc emigrantes nati sunt cælo. Illa ex Apostolica traditione manant. Primum festum S. Stephano dicatum fuit. Missæ sunt peculiare tempore Paschali de Communi Martyrum, quia teste S. Ambrosio magis consortes fuerunt Dominicæ Passionis. Confessores antiquitus vocabantur illi, qui interpellati Christi fidem coram fidei hostibus confessi erant, etiam ideo tormentis subjecti, non tamen enecati. Nunc latius id nomen sumitur pro viris moribus & vitâ sanctâ confessis Christum. Porro Confessorum ejusmodi festa teste Bellarm. constituta sunt Anno 813. in Concilio Moguntino. Instituta sunt autem festa teste S. Aug. ad excitandam imitationem Sanctorum; & ut meritis eorum confociemur, atque orationibus adjuvemur. *Octava Sanctorum* fiunt ad proroganda eorum festa, & ut celebriora sint, ac compensentur ea per & in Octava, quæ in ipsis festis negliguntur.

18. De benedictionibus candelarum, Processione, Festo Purificationis, & quinque coloribus, quos Ecclesia tum in Festis ac Dominicis, tum in Feriis per annum adhibet.

Purificatio B. M. V. dicta olim est *Festum Simonis & Anna, Presentationis, Occursus* latine, & à Græcis *Hypante vel Hypapanthe*, quod idem est ac obviatio vel occursum. Cæpta est coli Constantinopoli sub Justiniano Imperatore. Juxta quosdam Romana Ecclesia recepit Anno